

Quaestio medico-chirurgica, ... an in curanda ani fistula ferro praestent caustica? / [Jean Baptiste Barjolle].

Contributors

Barjolle, Jean Baptiste, active 1751.
Baron, Hyacinthe Théodore, 1707-1787.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1752]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t8erapff>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Aprilis,
Anno Domini M. DCC. LII.

M. HIACYNTHO - THEODORO BARON,
Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

An in curandâ ani fistulâ ferro præsent caustica?

I.

STATIM ac pars inflammata suppuratum abit, abcessus fit, pure intùs remanente, ulcus verò, ubi carcere fracto liber exitus patet purulento liquido, quâ data porta, fluenti. Sic semper ab abcessu ulcus; consequenter qualis abcessus, tale ulcus: simplex dicitur si fundo æquali solidoque terminari constet; sinuosum contrâ suffossis quoties pluribus cuniculis tanquam radicibus innitur ulcus. Aliud verò sedulò observandum ulceris genus, fistulosum dictum,

A

2

frequens sanè nimis, attamen minùs quàm vulgò censemur. Sinuosi ulceris genium apprimè mentitur, superat verò, & longè pejus. Hoc peculiare gerit quod ulceris ora, imò & intùs producti hiatus callis incrassantur. Nulla corporis pars impervia pessimæ huic abcessum soboli, quæ tamen ante alias anum & circumiacentia aggreditur: híc ubi castra habet, fistula anni vocatur; quo duntaxat nomine insigniendum sinuosum ulcus simul ac callosum ano vicinisve partibus inhærens.

I I.

CUM vix ac ne vix quidem morbus ullus, uno semper eodemque sibi proprio indutus habitu, in scenam prodire soleat, nil mirum ani fistulam sua subire discrimina. Essentialis itaque modò est, modò symptomatica; simplex vel composita; nunc recens adhuc & in germine veluti sopita observatur, nunc evoluta, laceratâque jam cute, magis minusvè pus fœtidum expuens vel externa circum ani labra vel in ipsiusmet intestini cavum, undè tum dicitur fistula externè vel internè cœca; plerumque autem, dum vires acquirit eundo, monstrum fit biceps pluribus & altis innixum pedibus. Prout autem altius anum obsidet, multiplicemque sibi viam suffudit, major est; contrà, minor: sic indeole, formâ, ac sede variat. Quidquid tamen sit, cum adjunctum sibi semper comitem callum habeat ani fistula, ab ulceribus cæteris hæc undique loca haud rarò infestantibus facilis est expeditaque illius distinctio; si potissimum attendatur quòd in ulcere cancroso, callosa quidem pariter vulneris labra extorsum invertantur, horridè semper inhiante malo, dum depresso potius in fistulâ videntur.

Jam verò pro efficiente mali causâ, ne compressionem nimiam contusionemvè cogitemus, vetant plurima rationum momenta: 1º. Quòd mille inter equites, eâdem compressionis forte manente, vix unus fistulâ laboret. 2º. Quòd afficiantur fœminæ etiam delicatores, quæ plumis non nisi mollioribus, floccisque sedem credentes, molestè unquam comprimi nesciunt. 3º. Quòd contusio in parte molli, utcumque gravis sit, abcessum tantùm, ulcus, sinuosum ulcus si velis, vel etiam gangrænam, callum verò nunquam generare valeat: ac veluti ictus graviter mammis inflictedus cui succedit cancer, tanti hujuscce mali accelerans duntaxat seu determinans causa meritò habetur; sic inter equitandum vel quolibet alio casu quæcumque accidenti ani, partiumvè adjacentium compressiones, his quidem determinari fistulam ani, effici verò nunquam credimus. Altius sane inhæret malum, quod prævio tam fluidorum quam solidorum vitio referimus: horum nempè laxiorem textum, inertemque veluti tonum accusamus; illorum autem pravam ac redinis simul & crassitie indolem quâ concretiones lymphaticæ, sanguinisque stases lente foventur. Unde fistula ami, morbus semper gravis; nec nisi inepti ægrorum adulatores, firmorem ex tali hospite præstari sanitatem, polliceri audent.

I I I.

TUTA nunc inquiratur fistulæ ani medela. Statim adebet audax agyrtarum cohors; mille & singula certis certiora offerunt remedia: absit autem híc Medicinæ sacra, profanis miscere velimus. Laboranti fistulâ una salus: eradiceatur malum ferro vel causticis. Citiùs quidem ferrum agit; anceps verò maximè methodus, nec barbara minùs. Pronus enim volunt decumbat æger, clunibus diductis; tūm, si externè cœca fistula sit, unâ manu intromittatur in anum digitus, qui intestinum, ulcus versùm, comprimat, dum specillum al-

terâ manu fortiter in ulcus protruditur , usquedum in ipsius cavum intestini penetret : ita ut pars morbida , tanquam veru , transfigatur. Deinde , specillo in ansam incurvato , comprehensa pars attrahatur , scapello amputanda. Hâc in operatione , quidquid gerit periculi dolor atrocissimus , ægrotantis capiti minatur ; nec satis , ut ansâ pars allevata tollatur , partes labe immunes æquè ac infectæ abraduntur ; sed quod pejus , directâ semper manu juxtâ longum & profundum unici canalis quem amplectitur ansa , tâm collaterales cuniculi quam profundiores , vel horum saltem extrema , ferrum saepius effugient ; undè fistulæ alterius fons & origo. At dices : peractâ operatione , si quod intus remanserit callum , forficibus curvis secamus ; vel causticis absuumimus cuniculorum extrema , si quæ reliqua apparent. Esto : sed horrendi cruciatus novi , nova semper operatio , ac methodus duplex ; quibus tamen omnibus invitis , fistulam sic ferro curatam iterum , ter , & quater renatam multiplex indixit experientia. Hâc itaque posthabitâ methodo , ad caustica tanquam ad ancoram sacram configimus.

I V.

ADSIT jam fistulæ ani patiens : oculo & tactu exploranda mali sedes ; oleo posteâ illinitus in anum immittatur digitus qui partes leniter affricando percipiat an ulcus sit , & quâ altitudine hæreat : indè levibus digitis , ab externo ad ulcus internum comprimendo , forma callorum tentanda. Quibus sic cognitis , latè cooperiatur mali campus emplastro emollienti leviterque suppuratorio , quod singulis diebus renovandum erit. Tum Medici est veram internis remediis curationem ordiri , certamque brevi præstare. Cùm sensim Medicâ manu deductus æger ad operationis terminum tandem advenit , sic proceditur : paratur lens caustica , simul perforatur emplastrum ita ut super impositum transmittat causticum ; tum sic applicatur , ut absumentæ parti forament adamassim respondeat ; additur exemplò lens caustica quæ in hoc foramine inclusa , super addito emplastro , fortiter cogitur. Res sic se habent per horas duodecim , quibus elapsis , nudatur eschara. Quidquid dulce , & unctuosum est , quale butyrum recens , ad illiniendum hic locum habet ; palmam tamen damus mundificativo de apio , quod ope penicilli combustæ parti admovendum , emplastro semper super imposito. Statim ac cecidit crusta , sedulò observandum ulcus , quò vestigiis omnibus prematur malum. Quot apparent cuniculi , his tot causticorum telis infistendum , usquedum tandem ad annum deveniatur : hic labor novus , cura major ; cavendum enim sedulò ne sanum comburatur : eo fine in anum longa introducitur turunda , undique vel cerâ , vel mucilagine crassè obducta ; lateraliter sulcus foditur in quo , gemmæ ad instar in suâ palâ , causticum includendum , eo modo ut ex unâ parte anum possit impetere , cæteris in unguento sepultis ; sic incolumis præstatur anus , dum hujus pars duntaxat læsa absumitur. Hâc salubri methodo fistulam ad exteras usque radices prosequeris , malumque funditus evertes , sanâ nec constanti minus successurâ cicatrice : cuius consequendæ gratiâ certò cum successu decocta ex scordio & rosis rubris optimè depurato melli admixta , aqua aluminosa ac veterrima vitæ aqua partibus æqualibus , in lotionis formam usurpantur. Ultimo demum tempore , quò suis omnibus numeris absolvatur opus , è Mechâ balsami aliquot guttæ super adhibeantur. Id , solatium ægris haud leve , & Medico , in hâc praxi accidit quod vita tuta spondeatur ; dolorum summa prudenter adeò deduci possit , ut pati quidem , excruciali verò nunquam contingat ; & prout pars altera causticis absumitur , pullulet pars prima citò rursus generata ; sic , vulnere semper exiguo , parcitur doloribus , minus dolet natura , nec vires prosternuntur.

DUBIUM nunc maximum horum ne timiditas qui causticis abhorrent; an caustici tractandi inscitia æquiori jure accusanda sit? Causticum exlex, inquiunt, remedium quod nullis subjecere regulis artem penes est; vel effrænum vel iners, nil aut nimis agit. Sciant nil in manu Medicâ exlex esse; venena sèpè in salutem ægri pro nutu suo invertere Medicus novit. Nil comburit, nisi quod tangit causticum; nec nisi ratione suæ molis altè penetrat. Proprio fluidis jure, huc versum semper labitur, ubi minor occurrit resistentia. Quarè electionis huic præscribe locum, vicinia sedulò munias, tunc admoveatur, in sede suâ cautè detinendum; sic nec tua unquam falletur spes, nec injuriis locus erit. Si queras nunc, aut pollicearis aliquod egregium causticorum genus, quod amicè carnes osculando sine molestiâ agat; cachinnum moves; causticum enim dulce, contextamque serico panno lanceolam, eadem pueris fabula narrat. Cætera inter caustica nobis arridet lapis causticus vulgaris. Pro dosi pollet virtus; fractâ minor, adauctâ major. Sic primò nudatur malum; varia dein obſidentur ipsius diverticula; hinc expugnatur ubique acrius modò, modò lentiùs, & usque tandem profligatur, quò ad extremum angustiæ coactum, comburatur. Incolumis interim, spectator veluti, perstat æger, hilaris mente, florens viribus, ac vitâ sanus. Quæ cùm tot tantaque commoda ferrum deneget, jure concludendum,

Ergo in curandâ ani fistulâ ferro præstant caustica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATUR.

M. Ludovicus - Renatus Marteau, Bibliotheca Facultatis Praefectus designatus.

M. Josephus Lallement, Cirurgia Gallico idiomate Professor designatus.

M. Petrus Poissonnier, Professor & Censor Regius.

M. Antonius le Camus.

M. Claudius Bourdier de la Mouliere.

M. Petrus Arcelin.

M. Raymundus de la Riviere.

M. Ludovicus - Petrus Hoc.

M. Antonius - Ludovicus Guenault.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA BARJOLLE, Salmu-
riensis, Doctor Medicus Monspeliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1752,

A S E X T A A D M E R I D I E M.